

VIRO ILLUSTRIS
D. CONSTANTINO HUYGENIO
A ZVICHEM

Andreas Arnoldy
S. P. D.

Sapientissime, Magne Huygeni, cogitabam de epistola ad te scribenda, partim, quod plurimum tibi debeam, partim, quod velim plura debere. nihilominus semper cohibui animi impetum, ne fortassis male consulerem rebus meis, dum bene illas facere spes esset. Idem illud negotium, quod mihi aditum ad te paravit, novam parit fiduciam benevolentiae. Velferi epistolas ad Lippiam liberaliter concessisti, non sine operis incremento; et iam parens meus, Huygeniani nominis maximus cultor, misit tibi Velferiani operis exemplar, quod petas Amstelodami, per quendam hominem, a Johanne Uyllenbergio, mercatore. Per integram ferme aetatem vixi cum Celeberrimo Jo. Vossio, nunquam sine amore honoris tui faciente mentionem. nunc vero in Gallias concessurus sum, ubi beatus forem, si summi filium tuum ingenii daretur colendi occasio. tecum erat Haga. sed ubicumq; tandem fuerit, parem ingenio precor valentiam, firmam, robustam. Anglia nostra novis rebus in dies videtur studere, quas hominibus turbulentis relinquimus. libera gaudent meliore sorte. Nuper prodit Cyprianus, cum Annalibus, quos Episcopus Chetrensis confecit, et notis Johannis Oxoniensis Episcopi. Πολυμαθίου ἀρμονικῶς absoluit Wallisius. deinde exspectabimus Lactantium, et demum Josephi antiquitates. Ne longus sim, cupio te longum valere, Vir Illustris, et C. Filium, Splendidissima Belgii ornamenta. Valete.
Dab. Londini a. d. xxviii. Septembr. 1632. c. lxxxii.

Optarem certior esse de filij reditu Lutetiam, quod scirem, si velis aliquot lines scribere, et Londinum mittere, cum inscriptione:
For Andrew Arnold, at Mr Hayes' a Barber, overagainst Shool Lane in Holborn.

25
Mijn Heer,
Mijn Heer, Constantinus Hugonius
van Zwickem, Raadt van Syn
Hoogheids



in

's Graeven-Steegh.